



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus X. De Supplendâ negligentîâ Prælatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

tenet, ita ut viginti dies non requirantur; hinc si quis, dum sanus esset, beneficium in favorem tertii resignaret, postea vero confecto desuper Instrumento, eodemque Romam transmissio lethali morbo correptus moreretur, resignatio facta valeret, quidquid in contrarium quidam DD. sentiant. *chohier in reg. 18. cancell. n. 15.*

OBIICIES, In favorabilibus dies inchoata habetur pro completa *l. quâ atate ff. de Testam.* ergo in resignatione vigesima dies inchoata sufficiet. **Resp.** distinguo anteced. in favorabilibus dies inchoata habetur pro completa quando tempus designatur per annos, Concedo, quando designatur per dies, Nego, sicut enim in termino plurium annorum ultimus annus inchoatus pro completo non habetur *l. 4, § 5. ff. de condit. §. demonstrat.* ita etiam in termino plurium dierum ultima tantum inchoata pro completa haberi non debet.

TITULUS X.

De

Supplendâ negligentia Prælatorum.

QUÆRES I. Quid sit negligentia? **Resp.** est omissio ejus, quod Prælati Ecclesie vel officij sui facere debent. Prælati enim Ecclesiarum non semper sunt adeo diligentes, & ecclesiarum suarum utilitati intenti ut non quandoque eorum administratio reprehensionem mereatur. ne igitur ecclesie per eos, quorum sollicitudine conservandæ erant, damnum patiantur, salubriter ordinaverunt canones, ut eorum negligentia ab aliis suppleatur.

QUÆ.

QUÆRES 2. Per quos Prælatorum negligentia suppletur? Respond. Negligentiam vel ipsum supplet jus, videlicet negligentes excommunicando, suspendendo, deponendo, &c. aut actum ab iis omissum pro facto habendo, ut in casu *cap. 1. h. t.* ubi si Episcopus tertio debite requisitus abbatem benedicere sine rationabili causâ recusaverit, non aliter, ac si benedictus esset, Monachos suos benedicere, ordines minores conferre, & alia quæ muneris sui sunt, exercere potest, ipso jure negligentiam Episcopi supplente. vel negligentiam supplet inferior eo casu quo Episcopus a barbaris detinetur captivus, tunc enim capitulo tamdiu competit administratio, donec eidem à Papâ provideatur. *cap. 3. h. t.* quæ tamen potius impotentia quàm negligentia nuncupanda erit. vel denique superior negligentiam inferioris supplet. idq; vel per se ipsum, conferendo nimirum beneficia, si inferior ea intra tempus à jure præfixum conferre neglexerit *cap. 3. 4. §. h. t. trident. sess. 5. cap. 2. de reform. §. si* quæ verò quod ipsum in *lib. 3. de Institut.* fusius explicabimus. vel constituendo administratorem, visitatorem vel conductorem, cui omnium ecclesiæ negotiorum administratio competet, collatione beneficiorum exceptâ. *cap. 4. h. t.* Exemplum suppletæ negligentia vidimus Anno 1697. quando Episcopus NN. debite requisitus parochum in NN. elapso bimestri à Pio V. in Bullâ quæ incipit *in conferendis* præfixo, instituere neglexerat; ejus enim negligentiam Metropolitanus juxta tenorem prædictæ Bullæ supplevit, quod factum laudabile in Romana etiam curiâ approbatum fuit.

OBJICIES. Nemo dat quod non habet. *l. nemo potest ff de reg. jur.* sed in casu denegatæ benedictionis abbas benedictionem non habet; ergo nec eandem aliis impertiri poterit. Resp. concess. major N. min. habet enim benedictionem sacerdotalem, quæ sufficit ut monachis suis benedictionem largiri, & ordines minores conferre possit. cæterum abbas tali casu pro benedicto habetur ex dispositione juris positivi; sicut enim hoc jure abbatum benedictio est introducta, ita & in casu denegationis suppleri potest.

QUÆRES 3. An propter negligentiam Episcopi, ejusdem potestas & jurisdictio devolvatur ad Archi-Episcopum? Resp. affirmat. est sententia *Quarantæ in summâ Bullarj n. 21. felini*, & aliorum gravissimorum auctorum. und si Episcopus in administrandâ justitia aut alias quomodolibet negligens fuerit, poterit illi ab Archi-Episcopo ad instantiam partium pro faciendâ justitiâ præfigi tempus, quo lapsò Metropolitanus ipse poterit in causâ procedere. contraria tamen sententia, quam tenet Pirrhing non est exiguæ probabilitatis.

OBJICIES. 1. Statuit *concil Trident. sess. 24. cap. 20. de reformat.* omnes causas in primâ instantiâ coram locorum ordinariis tractandas, & appellationem infra biennium non esse permittendam; ergò Metropolitanus non poterit Episcopo præfigere certum tempus, aut eo elapso in causâ procedere. Resp. Omnes causas coram locorum ordinariis tractandas & biennium expectandum esse, nisi Archi-Episcopus visâ suffraganei negligentiam breviorum terminum ad instantiam partium præfixerit. *Trid. c. ult. §. legati.*

OBII.

OBJICIES 2. In materiâ prohibitoriâ omne illud cenletur prohibitum, quod non est expressè concessum. *cap. 2. de translat. episc.* Sed prohibita est metropolitanis in suffraganeorum suorum subditos jurisdictio. *cap. 11. de off. jud. ordin.* exceptis casibus à jure expressis; ergò extrâ hos casus n n habebunt in eos jurisditionem. Respond. Concedo totum; iste autem est unus inter casus à jure expressos, quod propter negligentiam suffraganei Jurisdictio ad Metropolitanum devoluatur. *Trid. loc. cit.*

TITULUS XI.

De

Temporibus ordinationum & qualitatibus ordinandorum,

QUÆRES 1. Quid sit ordo & quotuplex?
Resp. Ordo duplici significati ne sumitur. *Primò* pro actione ipsâ quâ ordo confertur, & sic propriè vocatur ordinatio quæ est Sacramentum novæ legis à Christo Institutum quo confertur potestas ad aliquod altaris ministerium sive officium stabiliter peragendum. *Trident. sess. 23. cap. 3. de Sacramento ordin. c. 1. tim. 4.* *Secundo* sumitur pro effectu ordinationis, sive pro potestate per ordinationem collatâ, & definitur gradus Ecclesiastica potestatis in ordine ad ministerium altaris. Tales gradus sive ordines à Theologis numerantur septem videlicet ostiaratus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus; quorum 4. priores vocantur minores, tres autem poste.